



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritiva - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuctio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1677**

§. 10. Paraphrasis Angelicae Salutationis

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9969**

*cordi tuo.* Quod si in illa conversatione aliquo modo deliquisset, pœnam imponebat ori suo, ne sacra vulnera oscularetur: oculis, ne in faciem ejus respicerent: linguæ, ne coram eo loqui præsumeret usque ad certum tempus, donec crederet culpam esse expiatam. Semper eum præsentem habere conabatur, cupiens mori cum eo in Cruce. Omnes actiones suas actionibus ejus conformare satagebat, ipsumque jugiter precabatur ut inter brachia sua, & cor apertum reciperet spiritum suum. Hæc & alia obsequia erga Christum crucifixum præfatus Dei servus præstabat: Sed ista dumtaxat è multis excerpti, quæ ad exemplum, & imitationem sufficere possunt. Amor autem, & spiritus Domini Jesu se devotè exercitanti plura suggerent: ipse enim spiritus adjuvat infirmitatem nostram, ipse postulat pro nobis, & facienti quod in se est, vires ac robur subministrat.

§. X. *Paraphrasis Angelicæ Salutationis.*

**A**ve Mater Dei, Mater gratiæ, Mater misericordiæ, quæ Deum & hominem peperisti. Ave Regina cœli & terræ, quæ sine vâ peccati semper fuisti, ab omni miseria immunis, & verè in omnem æternitatem beatissima. Ave fons salutis, cujus privilegiorum multitudo innumerabilis, splendor æternus, gloria inexplicabilis est. Ave pax, & gaudium mundi, quæ cœlum terræ, nos Deo conciliasti.

*Maria*, nomen dulcissimum super mel & favum: nomen post Filii tui nomen super omne nomen, in quo post Filii nomen benedicuntur omnes nationes terræ: nomen in quo flectitur omne genu, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Maria illuminatrix omnium spirituum, ad cujus lucem mores effingimus: Domina nostra, cujus pio famulatu felicitatem adipiscimur sempiternam: Stella maris, cujus perpetuo afflatu, & fulgore illustramur, & ad portum salutis dirigimur: Mare gratiarum & sanctitatis, è quo sequeuntur omnium virtutum exempla, omnia Sanctorum charismata, & beneficia.



*Gratia plena.* Ira enim & maledictio in omnes filios Adæ: tu autem invenisti gratiam apud Deum. Singulis gratia data est per partes, in te tota se effudit gratiæ plenitudo. Tu gratia plena, quæ nulli unquam peccato aditum aperuisti: gratia, inquam, plena, quia omnia opera ex gratia fecisti, & in cunctis virtutibus excelluisti. Fuere quidem & alii Sancti gratia pleni, sed tu valde differenter ab illis; quia ibi major abundantia liquoris, ubi major capacitas vasis. Quanta autem capacitas tua fuit, quæ illum tuo gremio contulisti, quem cœli capere non possunt?

*Dominus tecum.* Tecum in corde, tecum in utero, tecum in auxilio. Tecum Filius, quem carne induis; tecum Spiritus sanctus, de quo concipis: tecum Pater, qui eum genuit ab æterno, quem tu paries in tempore. Dominus tecum, & in te; uti Rex in solio, sponsus in thalamo, amicus intimus in amico, imò multò intimiùs & arctiùs. In me etiam Dominus est, quomodo enim subsisterem sine illo? Sed in te multo excellentiùs per majorem gratiam, per majorem bonorum communicationem, per assumptionem humanæ naturæ.

*Benedicta tu in mulieribus.* Verè benedicta, quæ à communi maledictione mulierum libera, nec sterilis fuisti, nec virginitatem amisisti, nec in tristitia peperisti. Portasti Deum qui portat orbem; genuisti genitorem tuum, nutritivisti omnium viventium nutritorem; virum non nosti, & virum utero tuo circumdedisti. Verè benedicta, quæ fuisti excelsior cœlo, latior terra, major universo, illum gerens in ventre, qui nullo clauditur termino. Verè benedicta, quia carne ex te assumpta Filius Dei humanum genus ab omni maledictione liberavit.

*Et benedictus fructus ventris tui, Iesus,* quia sine corruptione conceptus, sine dolore natus, & ut peccati destructor in lucem editus. Meritò benedictus, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, quem Pater caput Angelorum & hominum constituit, & sine mensura omni



gratia, & benedictione replevit. Tu arbor vitæ fuisti, in Ecclesiæ Paradiso sita, ex qua tam dulcis, tam utilis, tam pretiosus extitit fructus, qui & te benedictam fecit, & nos eripuit à maledictione, & morte peccati, & omni benedictione cumulavit.

*Sancta Maria Mater Dei*, quæ sancta es, & sanctitatis prodigium; donorumque & gratiarum pelagus inexhaustum. Vera Mater Dei, quæ Deum hominem factum peperisti: pia mater nostra, quæ erga nos maternum geris affectum, & mater peccatorum vocari non erubescis.

*Ora pro nobis peccatoribus.* Non dicimus quid ores, quia tu scis quid expediat nobis. Tu sancta es, & quid nobis nisi sanctitatem postulabis? Tu gratia plena, quid petes nisi gratiarum abundantiam? Ora igitur pro nobis.

*Nunc, & in hora mortis nostræ.* Duplex auxilium nobis est necessarium: alterum ut sanctè vivamus, alterum ut sanctè moriamur. Utrumque nobis impetra, ut præsentis temporis ab omnibus malis animæ & corporis liberati, in sanctitate progrediamur, & perseveremus: & cum hora mortis nostræ advenerit, ab omnibus insidiis diaboli erepti, sancti & immaculati hinc decedamus, & perpetuo Dei aspectu in cœlesti patria perfruamur. Amen.

§. XI. *Quomodo colendus quilibet Sanctus, præsertim in ejus Festivitate.*

**C**onstat hoc exercitium quintuplici actu, nimirum adoratione, gratiarum actione, petitione, congratulatione, & oblatione.

1. Ex amore Dei, & Sancti illius, quem propter Deum amas, sanctissimam Trinitatem actu patriæ adorabis, tanquam principium omnium donorum naturæ, gratiæ, & gloriæ, quibus ille Sanctus fuit ornatus in hac vita, & nunc ornatur in cœlo. Ex simili quoque amore ipsum